

NE M FRIDERICVM, non pluribus
quàm quinque comitatibus principibus, ac duabus
tantùm civitatibus Imperialibus, eam fidei con-
fessionem in publico ac frequentissimo ordinum
Imperii confessu edere non exhorruit, quæ tùm
universo propè orbi erat exosissima, quam &
Imperator, & Papa, & his succenturiati pleriq;
ferè omnes reges atq; principes ad furcam ac flam-
mas unice poscebant.

10. Quis obsecro divina simul & bonitatis &
omnipotentia hinc non deprehendat vestigia? Quis
non cum regio Psalte exclamet; Confessio Domi-
ni super cœlum & terram, Ipse exaltavit cornu
populi sui? Quis deniq; sanctissimos hosce princi-
pes, inclytasq; Respub. sempiternâ laude non di-
gnas esse censeat, quæ usq; adeò purioris Religio-
nis assertionem curæ sibi cordiq; habuerunt, ut vel
millies vitam sanguinemq; profunderent, quàm vel
latum ungvem ab agnitâ veritate Evangelicâ dis-
cedere, maluerint.

11. Verùm his & id genus alijs illustrandis
amplificandisq; commodiori occasione reservatis,
ad ea, quæ de confessione Augustana in Questio-
nem potissimùm veniunt, accessum facio.

12. Videntur autem illa, quatuor summis
quasi capitibus commodissimè posse comprehendi:
Quorum primum de Autore: alterum de sensu
genuino ac proprio: tertium de mutatione: po-

A 3

postre-